

illa ipsa coena audiuerant institui a Christo ministe-[29:]rium, explicari fructus ministerij et praesentiam suam in ecclesia, cernebant Christum corpore suo assidentem mensae locatione physica non transferri alio, non mutari, sed pani tribuere appellationem tantum sui corporis. Illius igitur manducationis et promissionis de praesentia sua intelligebant per notam hanc phrasin institui σφραγίδα et commonefactionem, non vero miraculosam aliquam veri corporis propagationem aut nouum aliquod numen, diuersum a beneficio, de quo concionatur promissio euangelij, institui. Ideo bene de hac ipsa coena inquit Chrysostomus: „Quomodo turbati non sunt, cum hoc audiissent? Quia multa et magna de hoc ante disseruit.“¹⁰² Deinde, nonne sequens propositio apertissime explicat priorem? Nusquam dicitur, vinum est sanguis Christi, sed calix est nouum testamentum in sanguine,¹⁰³ hoc est iste haustus est obsignatio promissionis de merito et beneficio meo in credentibus.

Neque a phrasi Lucae dissentiunt vlllo pacto, quae apud Matthaëum et Marcum leguntur: „Calix est meus sanguis noui Testamenti“,¹⁰⁴ hoc est meriti et beneficiorum noui testamenti applicatio. Non enim existimari potest sanguinem materiale, qui de latere Christi ipso vulnerato effluxit et dissipatus est, hauriri. Ideo Paulus certissimus interpret propositionem, quae extat apud Lucam, tanquam magis perspicuam repetere maluit. Idem vtramque propositionem ita dextre et perspicue declarauit, vt nullus locus dubitandi de vera sententia, nisi illis, qui petulanter veritatem conturbare volunt, relinquatur. Calix benedictionis est κοινωμία sanguinis Christi, panis benedictionis est κοινωμία corporis Christi.¹⁰⁵ Non inquit, panis est verum, essenziale vel substantiale corpus Christi, sed est externa et visibilis res, qua sit societas inter nos et corpus Christi. Calix est res visibilis, qua nobis exhibetur sanguis Christi, et aperte testatur non mutari naturam panis et vini in vsu. Nam quod sumitur nominat panem. Propugnatores fidei christianae labascentis, vt videri volunt, cum oculos [30:] luce huius testimonij praestringi sentiant, velant se imitari exemplum Agamemnonis nolentis spectare necem filiae, sed quale et quam bellum hoc sit velum videamus.¹⁰⁶ Aiunt κοινωμίαν corporis significare ipsum corpus communicatum pani et distributum. Sed quis prudentum abderet sese in eiusmodi κρησφύγετον? Nimis aperta fraus est. Quid opus erat antonomasia, si Paulus voluit docere de coniunctione panis et corporis, cum oratio simplex „panis est corpus“ maiorem habeat emphasin? Deinde inspiciamus consilium Pauli, qua de re agat. Facit enim antithesin sacrae coenae et conuiuiorum ethnicorum. „Expresse“, inquit, „eos, qui intersunt sacrificiis ethnicis, inire societatem cum idolis. Econtra in mensa domini nos inire

¹⁰² Johannes Chrysostomus, In Matthaëum homilia LXXXII, in: PG 58, 738.

¹⁰³ Vgl. Lk 22,20.

¹⁰⁴ Mt 26,28; Mk 14,24.

¹⁰⁵ Vgl. I Kor 10,16.

¹⁰⁶ Zu Agamemnon, dem Oberfeldherr der griechischen Truppen im Trojanischen Krieg, und seiner Opferung der Iphigenie vgl. Christoph Auffarth, Art. Agamemnon, in: NP 1 (1996), 228f.